

644. #83

22

**ANALOGIA  
DEL  
P.Martino.  
Becano.**

BS505

.B4

1621

c.1

132140



1080044502

Vaxxanagat<sup>y</sup>  
Kuin<sup>th</sup>

2006



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

132740

# ANALOGIA VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

IN QVA PRIMVM STATVS  
veteris,deinde consensus,proprietio,  
& conspiratio illius cum novo  
explicatur.

A V T H O R E  
MARTINO BECA  
Societatis IESV Theologo

Accessere Indices Capitum , & rerum na-  
tura dignorum.



L V G D V N

Sumptibus ANTONII PILLOTTI  
sub signo SS. Trinitatis

M. DC. XX.  
CVM PERMISSV SVPERIORV

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON  
ALFONSINA BIBLIOTeca UNIVERSITARIA  
MICROFILMADO 9/2/80

46551

БІБЛІОКА  
БС595  
Б9  
1621

УКІВІТІДО  
БІБЛІОКА  
АМЕРІКАНСЬКА  
ДІЛЕНІА



## FERDINANDO IMPERATORI INVICTISSIMO.



C R I P S I nuper , In-  
uictissime Imperator,  
breuem & perspicuum;  
vt opinor,veteris ac no-  
ui Testamenti Analo-  
giam ; in qua,quid inter  
Mosem & Christum, inter Synagogam &  
Ecclesiam, inter legem & gratiam intersit,  
quis item inter ea sit consensus,proportio,  
& conspiratio , summatim complexus  
sum.Eam duplici de causa , sub Augustis-  
simi Sacratisimi nominis Tui auspicio in  
lucem exire volui : Tum , vt Imperialis  
Aquilæ præsidio tuta ac secura sit: Tum,vt  
meæ voluntatis ac propensionis erga Cæ-  
faream Tuam Maiestatem fida interpres.  
De fructu , quæ inde sperari possit, non au-  
sim polliceri. Duplicem tamen ex ea per-  
cipi posse,omnino persuasum mihi est. Al-  
terum doctrinæ seu cognitionis, de quo in

A 2 pro

progressu operis dicturus sum. Alterum consolationis bonorum, & terroris impiorum; qui quidem latissimè patet, & ad omnia penè hominum ac statuum genera diffundi potest. Cæterum, quia cum Tua M. nunc ago, vnico tantum exemplo seu paradigmate, quod presenti tempori accommodatum sit, explicandus est. Et quidem in hunc modum.

Videmus multos, de Cæsarea Inauguratione, Tuæ Maiestati gratulari; multos fremere, obstrepere, murmurare: Illos fidelitatem & obsequium deferre; hos seditiones ac rebelles esse. Quæ interim nobis mens, quis animus? Dicam. Qui veteris ac noui Testamenti Analogiæ ignari sunt, stupent, tristantur, affliguntur. Vellent aliter rem geri: omnes morigeros esse; rebellem neminem. Qui gnari, sic ratiocinantur: Quid mirum, inquiunt, si optimus Imperator patitur rebellionem, persecutionem, & opprobrium à subditis? Nihil hoc noui. Sæpè olim hoc factum in veteri Testamento. Factum Moysi, Saüli, Dauidi, aliis. Factum Christo, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium. Et quidem Moysi, cùm ex Ægypto in terram promissionis ducaret populum, duo

dunta

duntaxat obtemperarūt, Iosue filius Nun, & Caleb filius Iephone: reliqui, quotquot erant, imperium recusantes, vociferati sunt: Nonne melius est reuerti in Ægyptum? Constituamus nobis Ducem, & reuertamur in Ægyptum. (Num. 14.4.)

De Saüle in Regem electo (quo non erat melior in filiis Israël, Scriptura attestante) sic legimus: Saül abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda: Filii verò Belial dixerunt: Num saluare nos poterit ille? Et despicerunt eum, & non attulerunt ei munera. (1. Reg. 10.26.)

Similiter de Dauid, qui erat vir secundum cor Dei: Accidit quoque, ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir temenus: & cecinit buccina, & ait: Non est nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai: reuertere in tabernacula tua Israël. Et separatus est omnis Israël à Dauid, secutusq; est Seba filium Bochri. Viri autem Iuda adhaeserunt Regi sua à Iordane usque Ierusalem. (2. Reg. 20.1.)

Denique, ut alios præteream, contra Rēgem Regum clamabant Iudei, sub finem veteris Testamenti: Nolumus hunc regnare super nos: Tolle, tolle, crucifige eum.

A 3 Si

Si hæc mirabili diuinæ prouidentiæ nuntiū, tunc facta sunt; quid stupemus aut indignamur, si etiā nunc eueniant? Audiantur sanè hæc aut similes improborū voces: Non est nobis pars in FERDINANDO Austriaco: Num saluare nos potest ille? Nolumus hunc regnare super nos: Constituamus nobis Ducem, reuertamur in Ægyptum. Quem feriunt, aut cui obsunt? Non FERDINANDO, sed ipsis. FERDINANDO dicetur, quod Mosi dictum est: *Faciam te Principem super gentem magnam.* Ipsis vero, quod Iudæis rebellibus: *Feriam eos pestilentia, atque consumam.* Itēmque: *Exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.* (Numer. 14.12. & Judith 8.25.)

Hæc, Inuietissime Imperator, eorum ratiocinatio est, qui, vt dixi, veteris ac noui Testamenti Analogiam intelligunt. Imo & Apostoli Pauli, cùm ait: *Quæcumque scripta sunt (in veteri lege) ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* (Rom. 15.4.) Verbi gratia. Cur scriptū est in veteri Testamento, Mosem, Dauidem, & alios pios Principes multas aduersitates perppersos esse? Nimirū, vt pij Principes, qui nunc sunt, corum exemplo discat patientiam, & Scriptura

pturatum lectione seipsoſ consolentur, & firmam æternæ retributionis spem concipient.

Sic sanè est. Neque tamen hoc tam Tui, quam aliorum causa scribo, ô Imperator. Scio, Te pridem in hac palæstra edoctum esse. Scio, Te excuso esse animo; & quo magis premeris, eo maiori in Deum confidentia erigi ac confirmari. Itaque non Tibi, sed aliis hac consolatione opus est. Tibi quidem Analogia nostra, ex qua dependet consolatio, inscripta, dedicata, consecrata est; non tamen vt Tuæ Maiestati prosit, sed potius, vt illius sacratissima protectione secura sit, & in lucem exire possit. Vesta Cæsarea Maiestas illam pariter, ac me clientem suum, Augustissimo suo patrocinio foueat ac tueatur.

Moguntiæ ex Collegio Archiepiscopali  
Societatis I E S V , Anno Christi 1620.  
Mense Ianuario.

Vestra Ces. Maiest.

Humillimus in Christo  
Seruus

M A R T I N U S B E C A N V S .

A 4 F A C V L

**FACULTAS R. P. PROVINCIALIS**  
*Societas IESV in Provincia Lugdunensi.*

**B**arthol. IACQVINOTIVS, Provincialis Societatis IESV in Provincia Lugdunensi, permittit ad sex annos proximos Antonio Pillechotte typis mandare, ac vendere *Analogiam veteris ac noui Testamenti*, Autore R. P. MARTINO BECANO societatis IESV, idque iuxta priuilegium Regum Christianissimorum Henrici III. die 10. Maij 1583, necnon Magni Henrici IV. 10. Decemb. 1606, atque etiam Ludouici XIII. iam regnantis 14. Februarij 1611. eidem Societati concessum, quo Typographis & Bibliopolis omnibus prohibetur, ne quis libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimat, vel imprimi cureret. Lugduni 25. Febr. 1621.

B. IACQVINOTIVS.

**C O N S E N S U S.**

**L**ibrum hunc, qui inscribitur, *Analogia veteris ac noui Testamenti*, Autore R. P. MARTINO BECANO è Societate IESV, & eiusdem Opuscula, Ego Aduocatus Regius typis mandari, demum in lucem exponi cōsentio. Lugduni 25. Febr. 1621.

BOLLOVD.

**L**ibrum hunc, qui inscribitur, *Analogia veteris ac noui Testamenti*, Autore R. P. MARTINO BECANO è Societate IESV, & eiusdem Opuscula ab Antonio Pillechotte Bibliopola Lugdunensi in lucem dari permitti mus: simul ne quis citra factam ei potestatem denio excudat, interdicimus. Datum Lugduni 25. Febr. 1621.

SEVE.

MAR

MARTINI BECANI

# **A N A L O G I A**

*Veteris ac noui Testamenti.*



**E**TVS Testamentum differt à nouo, sicut figura Christi ab ipso Christo: (1. Corinth. 10. 6.) Sicut umbra imaginis ab ipsa imagine: (Hebr. 10. 1.) Sicut promissio à donatione: (Acto. 3. 18. & Rom. 1. 2.) Sicut Epistola atramento scripta, ab Epistola spiritu Dei scripta: (2. Corinth. 3. 3.) Sicut litera à spiritu, mors à vita: (ibidem v. 6. & 7.) Sicut seruitus à libertate, ancilla à Domina, Agar à Sara: (Galat. 4. 22.) Sicut timor ab amore: (Rom. 8. 15.) Sicut sanguis hircorum, à sanguine Christi: (Heb. 9. 11.) Sicut occultum à patefacto: (Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 26.) Sicut inchoatum à perfecto, semen ab arbore, spica à frumento: (Diuus Thomas in 1. 2. quæst. 107. artic. 3.)

Hinc sequitur primò, nos Christianos in nouo Testamento fœliciores esse, quam fuerint Iudei in veteri. Nam illi erāt serui; nos liberi: Illi filij Agar, nos Saræ: Illi habebant solam figuram; nos rem figuratam: Illi umbram imaginis; nos ipsam imaginem: Illis promissus erat Christus; nobis donatus: Illi timore ducabantur; nos amore: Illis occulta erant

A 5 erant

aromatum, partim septena aspersione sanguinis ex immolato vitulo & hirco. Tertiā altaris thymiamatis, sola aspersione sanguinis. His peractis, sequebatur publica expiatio, hoc modo: Pontifex, qui ab initio miserat sortem super duos hircos, ut alter immolaretur pro peccato, alter viuus mitteretur in desertum; hunc statuebat in conspectu multitudinis, & posita vtraque manu super caput eius, confitebatur omnes iniquitates & peccata filiorum Israël, eaque capitii adstantis hirci imprecabatur; & sic mittebat eum in desertū, quasi auferētem & portantem peccata totius populi. Vnde & hircus, seu caper. Emissarius dictus est. Hæc omnia prolixè habentur Leuit. 16.

3. Secundum officium Pontificis erat consecrare Leuitas & Sacerdotes, iuxta eum ritum qui describitur Exodi 29. Leuit 8. & Num. 8. De quo ritu superius actum est. Hoc officium Pontificis designabatur perunctionē capititis, ut recte notat D. Thom. in 1.2. q. 102. art. 5. ad 8. Et ratio est, quia sicut oleum unctionis, seu sacram Chrīstma, quod effundebatur in caput Pontificis, defluebat inde ad alia membra, iuxta illud Psal. 132. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Sic potestas offerendi sacrificia, & ministrandi in tabernaculo, à Pontifice per legitimā consecrationem descēdebat ad Sacerdotes & Leuitas, tanquam à capite Synagogæ in membra inferiora.

4. Tertium officium Pontificis erat, in controversiis legalibus agere supremū iudicem, & pronunciare ultimam sententiam, cui omnes sub pena mortis tenebātur obedire, seu acquiescere. De hoc plura dicam cap. II. vbi ex professo agetur de iudice

5. Quartum erat, in rebus gerendis, quæ maioris momenti essent, consulere Deum, & ab eo responsum accipere. Vnde quotiescumque circa res gerendas aliqua dubitatio maioris momenti oriebatur, recurrentum erat ad Pontificem, qui consulebat Deum, & accepto ab eo responso, docebat alios, quid faciendum esset. Erat autem duplex obligatio in hoc officio. Una eorum, qui volabant rem aliquam maioris momenti aggredi. Nam antequam hoc ficerent, tenebantur accedere Pontificem, & ab eo consilium petere. Altera Pontificis, qui debebat rem illam Deo propōnere, & ab eo sciscitari, recte, an secus suscipi possit.

6. Vtraque obligatio colligitur ex illo Num. 27. 18. *Dixit Dominus ad Moysen: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazar Sacerdote, & omni multitudo: & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & parte gloria tua, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël.* Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominū. Ad verbum eius egreditur, & ingredietur ipse & omnes filii Israël cum eo, & cetera multitudo. Hæc posteriora verba huc spectant. Quorum sensus est: Iosue, qui erit Dux populi, non progredietur cum exercitu, nec suscipiet bellum cum viciniis hostibus, nec ullam rem alias magni momenti aggreditur, nisi ad mandatum & directionem Eleazari Pontificis, qui in huiusmodi casibus quid faciendum sit, à Deo sciscibit, & Iosuam deinde certiorem faciet.

7. Porro, nō solus Iosue, sed alij quoque Principes

*Analogia veteris*

erant mysteria Incarnationis & Redemptionis; nobis patefacta. Illi offerebant sanguinem hincorum; nos sanguinem Christi Redemptoris. Illi habebant literam; nos spiritum: Illi semen; nos arborem: Illi spicam; nos triticum: Illi testamentum inchoatum; nos perfectum: Illi mortem; nos vitam.


Secundò sequitur, cognitionem unius Testamenti multum prodesse ad cognitionem alterius. Qui enim videt figuram Christi conspirare cum ipso Christo; & umbram imaginis cum ipsa imagine; pleniorum habet cognitionem, quam qui alterum sine altero cognoscit, nec unius cum altero consensum & proportionem aduertit. Similiter, qui confert seruitutem cum libertate, timorem cum dilectione, mortem cum vita, semen cum arbore, spicam cum tritico; melius percipit utriusque naturam & conditionem; quam si alterum sine alterius collatione spectaret. Denique qui mysteria Incarnationis, Passionis, mortis & Resurrectionis Christi, prout iam impleta sunt, confert cum iis ipsis, prout in veteri Testamento sub umbra ac velamine occultabantur; magis confirmatur in fide ex illa collatione & consensu, quam si vel sola mysteria sine umbris, vel solas umbras sine mysteriis, per se seorsim consideraret.

Ob hanc causam propositum mihi est, explicare doctrinam veteris Testamenti, ut ex ea plenior & perfectior habeatur doctrina noui Testamenti: Et ex consensu, con spiratione, & analogia utriusque doctrinæ inter se collatæ, certo constet, eam veram esse fidem & religionem noui

Testa

*ac noui Testamenti.*

Testamenti, quæ retinet consensum, con spirationem, & analogiam cum doctrina veteris Testamenti. Eam esse falsam & adulterinam, quæ non retinet. Porro capita doctrinæ veteris Testamenti, de quibus potissimum acturus sum, erunt hec:



CAPITA

## CAPITA HVIVS LIBRI.

1. De Scriptura & Traditione veteris Testamenti.
  2. De Fide & Symbolo.
  3. De Spe, Promissione, & Oratione.
  4. De Charitate & praecepiis Chariatis.
  5. De Lege Mosaica, qua erat triplex, moralis, ceremonialis, & iudicalis.
  6. De Synagoga.
  7. De Ministris Synagogae ordinariis, qui erant Leuitæ, Sacerdotes, & Pontifex.
  8. De Ministris Synagogæ extraordinariis, qui erant Prophetæ.
  9. De Religiosis Synagogæ, qui erant Nazarai, & Rechabite.
  10. De Sectariis, qui erant Pharisei, Sadducei, Eseni.
  11. De Iudice controversiarum, qui erat Pontifex.
  12. De instrumentis diuini cultus, qua erant Tabernaculum, Templum, Arca fœderis, Propitiatorium, Candelabrum cum lucernis, Mensa panum propositionis, Altare thymiamatis, Altare holocausti, vasæ sacrae, Synagoga & Cathedra.
  13. De ipso diuino culu: ac primo, de Sacrificiis Mosaicis, qua erant multiplicia.
  14. De Sacramentis, qua erant Circumcisio, Agnus Paschalis, Purifications, & Expiations.
  15. De obseruantiis Legalibus, quibus Iudei discernebantur a gentilibus. Cuiusmodi erant. 1. Discretio ciborum mundorum ab immundis. 2. Abstinentia a sanguine & adipe. 3. Jejunia. 4. Vota.
5. Iura

## Index Capitum.

5. Iugamenta. 6. Solemnitates Festorum. 7. Annus septimus, seu Sabbaticus. 8. Jubilaum. 9. Raso at tonso capitis & barba. 10. Certus usus vestium.
16. De Regno, Regibus, & Iudicibus.
17. De Bello, Castris, & munditia castrorum.
18. De furto & usura.
19. De homicidio, & ciuitatibus refugi.
20. De Matri monio.
21. De Polygamia.
22. De Zelotrypia.
23. De Libello Repudij.
24. De adulterio & stupro.
25. De seruis, ancillis, mercenariis, peregrinis, pauperibus.
26. De Reformatione.

## INDEX HORVM CAPITVM.

### CAPVT I.

#### De Scriptura & Traditione V.T.

1. Quinam sint libri canonici veteris Testamenti? . . . . .
2. Qui fuerint primi Scriptores illorum librorum? . . . . .
3. An omnes lingua Hebraica primum scripti sunt? . . . . .
4. An omnes perierint tempore captivitatis Babylonica, & postea ab Esdra restaurati sunt? . . . . .
5. An 70. Interpretes post captivitatem Babyloniam transtulerint omnes in linguam Graciam? . . . . .
6. An, quando libri V. T. citantur in nono, semper continentur in sensu proprio & litterali? . . . . .
7. An in veteri Testamento præter Scripturam, fuerint etiam aliqua Traditiones? & quas? . . . . .

### CAPVT II.

#### De fide veteris Testimenti.

1. An fides sit donum Dei, quo assenimur iis, qua à Deo

## Index Capitum.

27. Deo reuelata sunt? . . . . .  
 30. 2. Quid in V.T. reuelatum sit de Deo?  
 32. 3. Quid de Trinitate?  
 35. 4. Quid de Christo?  
 37. 5. Quibus nominibus in veteri Testamento appellatus  
sit Christus?  
 39. 6. Quis primus crediderit in Christum?  
 41. 43. 7. An fides in Christum fuerit necessaria ad salu-  
tem?  
 47. 7. An fides V.T. fuerit tam perfecta, quam fides  
Euangelica?

## CAPVT III.

### De Spe, Promissione, & Oratione.

51. 1. Quid sit Spes?  
 52. 2. Qua bona in V.T. fuerint promissa à Deo?  
 53. 3. An etiam vita eterna fuerit promissa?  
 55. 4. An oratio fuerit necessaria ad impeirandum eius-  
modi bona?  
 57. 5. Que fuerit formula grandi in V.T.  
 60. 6. An in V.T. licuerit inuocare Sanctos?  
 63. 7. An licuerit orare pro defunctis?

## CAPVT IV.

### De Charitate & præceptis Charitatis.

67. 1. Quid sit Charitas?  
 68. 2. An in V.T. fuerint duo præcepta Charitatis: Vnum  
de diligendo Deo ex toto corde: alterum de dilige-  
ndo proximo, sicut seipso?  
 71. 3. An prius præceptum, de diligendo Deo ex toto corde,  
sit possibile in hac vita?  
 74. 4. An posterius, de diligendo proximo, intelligatur tan-  
tum de amico, an etiam de inimico?  
 75. 5. Quid sit diligere proximum, sicut seipsum?

## CAPVT

## Index Capitum.

- CAPVT V.  
 De Lege Mosaïca.  
 1. An Lex Mosaïca fuerit bona? - - - - - 77  
 2. An utilis? - - - - - 79  
 3. An perfecta & sufficiens ad salutem? - - - - - 81  
 4. An à Deo data? - - - - - 83  
 5. Vbi, quando, & quomodo data? - - - - - 85  
 6. An obligauerit solos Iudeos? - - - - - 87  
 7. Quam arctè obligauerit? - - - - - 91  
 8. An nunc penitus abrogata sit? - - - - - 92  
 9. An in eius locum successerit Lex Euangelicæ? 94

## CAPVT VI.

### De Synagoga.

1. An Synagoga fuerit visibilis? - - - - - 102  
 2. An aliquando errauerit, vel defeccerit à fidè? - - - - - 103  
 3. An fuerit figura Ecclesie Christi? - - - - - 109  
 4. An fuerit tam perfecta, quam Ecclesia Christi est? 111

## CAPVT VII.

### De Ministris Synagogæ, id est, Leuitis, Sacer- dotibus, Pontifice.

1. Ex qua familia fuerit Pontifex? - - - - - 114  
 2. Qua fuerit successio Pontificum? - - - - - 115  
 3. Quo ritu consecrati fuerint Leuita, Sacerdotes,  
Pontifex? - - - - - 122  
 4. Quod fuerit illorum officium? - - - - - 122  
 5. Quo vestitu & ornatu fuerint vissi? - - - - - 127  
 6. Quos & quantos redditus habuerint? - - - - - 144  
 7. An aliquando debuerint seruare continentiam  
vxoribus? - - - - - 152  
 8. Quanta fuerit illorum, ac præcipue Pontificis auho-  
ritis apud populum? - - - - - 157  
 9. Qua utilitas hinc colligi possit? - - - - - 160

## CAPVT

## Index Capitum.

### CAPVT VIII.

#### De Prophetis.

167. 1. *Quinam fuerint veri Prophetæ in V. Testamento?*  
 169. 2. *Quod fuerit ilorum officium?*  
 171. 3. *Quomodo probauerint se à Deo missos?*  
 174. 4. *An omnes de Christo prophetauerint?*  
 176. 5. *Quis illorum fuerit præcipuus, Moses, an Ioannes Baptista?*  
 180. 6. *Quomodo verum sit illud Christi: Omnes Prophetæ usque ad Ioannem?*  
 181. 7. *An verum sit, omnes Hierosolymis occisos esse?*  
 183. 8. *Quinam fuerint falsi Prophetæ?*  
 187. 9. *Quomodo veri à falsis discernebantur?*  
 188. 10. *Quid de Pythoniss sentiendum?*  
 193. 11. *An etiam in nouo Testamento sibi veri & falsi Prophetæ?*

### CAPVT IX.

#### De Religiosis Synagogæ.

197. 1. *De Nazareis.*  
 201. 2. *De Rechabitibus.*

### CAPVT X.

#### De Sectariis Synagogæ.

205. 1. *De Phariseis.*  
 2. *De Sadduceis.*  
 3. *De Essenis.*

### CAPVT XI.

#### De Iudice Controuersiarum.

221. 1. *An Pontifex in V. T. fuerit Index Controuersiarum?*  
 222. 2. *An fuerit infallibilis, ita ut non potuerit errare?*  
 229. 3. *An etiam in nouo Testamento sit aliquis infallibilis Iudex, & quis?*

### CAPVT

## Index Capitum.

### CAPVT XII.

#### De instrumentis diuini cultus.

1. *De Tabernaculo & Templo.* — — — 246  
 2. *De Arca fœderis.* — — — 249  
 3. *De propitiatorio,* — — — 254  
 4. *De Candelabro & Lucernis.* . . . . . 255  
 5. *De Mensa panum Propositionis.* . . . . . 256  
 6. *De Altari Thymiatis.* . . . . . 257  
 7. *De Altari Holocanstorum.* . . . . . 259  
 8. *De Vasis sacris.* . . . . . 260  
 9. *De Synagogis & Cathedris.* . . . . . 263.

### CAPVT XIII.

#### De Sacrificiis Mosaicis.

1. *De Victimis, Immolationibus, & Libaminibus.* . . . . . 271  
 2. *De Holocaustis, hostijs pacificis, & hostijs pro peccato.* 273  
 3. *De Iugi Sacrificio.* . . . . . 278  
 4. *De Agno Paschali.* . . . . . 277  
 5. *De Sacrificijs aliarum solemnitatum.* . . . . . 287  
 6. *De igne, quo vrebamus Sacerdotes in sacrificijs.* . . . . . 291  
 7. *De Sacrificio noui Testamenti, quod per sacrificia Mosaicæ fuit prefiguratum.* . . . . . 294

### CAPVT XIV.

#### De Sacramentis Mosaicis.

1. *Quæ, & quot fuerint Sacra menta Mosaicæ?*  
 2. *Quam vim & efficaciam sanctificandi habuerint?*  
 3. *An fuerint tam perfecta quam nostra Sacra menta?*  
 4. *Quid de singulis in particulari statuendum sit?*

### CAPVT XV.

#### De obseruantii legalibus.

1. *De discretione animalium mundorum ab immundis.*  
 2. *De abstinentia à sanguine & adipe.*  
 3. *De lezunijs.*  
 4. *De Votis.*

## Index Capitum.

5. De Iuramentis.
6. De festis.
7. De anno Remissionis.
8. De Jubilo.
9. De rasione & consilione capitis ac barbae.
10. De certo usu vestium.

## CAPUT XVI.

### D Regibus V.T.

1. Quae fuerint differentia inter Reges & Iudices?
2. Qui & quo potuerint Principes?
3. Qui, & quo fuerint Reges?
4. Qui fuerint boni, & qui mali Reges?
5. Quomodo creati fuerint Reges?
6. Quomodo inaugurati.
7. Quomodo uncti.
8. Quid fuerint officium Regum?
9. Quod ius in subditos?
10. An potuerint habere plures uxores?
11. An magnas dimitias?
12. An copiosum equitatum?
13. Quales fuerint ipsorum Consiliarii?
14. Quid hinc discere debeant Reges & Principes Christiani?

## CAPUT XVII.

### De Bello.

1. An bellum fuerit licitum in V.T.
2. Quenam fuerint leges belli à Deo prescriptæ?
3. Quæ iusta causa gerendi bellum?
4. An Iudei potuerint bellum gerere contra Iudeos?
5. An contra quosvis genitiles?
6. An potuerint implorare auxilium à genilibus?
7. Quinam Iudeorum Reges fæcilius gererent bellum?
8. Quid in lege Mosaica statuum fueru de munditia castorum?

CA

## Index Capitum.

### CAPUT XVIII.

#### De furto & usura.

1. Quæ fuerint leges circa furrum?
2. An usura Iudeis fuerit licita, necne?

### CAPUT XIX.

#### De Homicidio & ciuitatibus Refugij.

1. Quæ fuerint leges circa homicidium voluntarium?
2. Quæ fuerint ciuitates Refugij? & qui potuerint eò con fugere?
3. An etiam apud Christianos sint huiusmodi asyla?

### CAPUT XX.

#### De Matrimonio.

1. An Matrimonium fuerit precepium in V.T.
2. In quanto gradu licuerit, vel non licuerit matrimonium contrahere? (gentiles?)
3. An Iudei potuerint accipere uxores alienigenas seu
4. An potuerint accipere uxores extra suam tribum?
5. Quæ sit differentia inter matrimonii Veteris ac N.T.

### CAPUT XXI.

#### De Polygamia.

1. An polygamia repugnet prima institutioni matrimonij, que in Paradiſo facta est?
2. An aliquo modo repugnet legi naturæ?
3. An concessa fuerit post diluvium?
4. An hæc concessio in lege Mosaica fuerit confirmata?
5. An in lege Euangelica per Christum renocata?

### CAPUT XXII.

#### De Zelotypia.

### CAPUT XXIII.

#### De libello Repudij.

1. Quo sensu permisum fuerit Iudeis, uxores dimittere.
2. Quibus de causis licuerit illas dimittere, aut repudare?
3. Quæ ceremonie adhiberi soleant? & quæ fuerit formula verborum,

### Index Capitum.

- verborum, qua Libellus repudijs scriebatur?  
6. An sicut viri poterant repudiare uxores, ita vicissim  
uxores potuerint repudiare viros?

### CAPUT XXIV.

De Adulterio.

1. Leges de adulterio, incestu, stupro, scortatione, sodomia,  
bestialitate.
2. Quomodo hac peccata fuerint punita in veteri Testa-  
mento.

### CAPUT XXV.

De seruis, Ancillis, Mercenariis, Peregrinis,  
Pauperibus.

### CAPUT XXVI.

De Reformatione.

1. De Reformatione circa cultum Dei.
2. De Reformatione circa iustiniam inter Iudaos.
3. De Reformatione circa bellum.

ANA



# ANALOGIA VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

### CAPUT I

De Scriptura & Traditione Veteris  
Testamenti.



VÆRITVR 1. Quinam sint libri  
Canonici veteris Testamenti? 2. Qui  
fuerint primi scriptores illorum libro-  
rum? 3. An omnes lingua Hebraica  
primum scripti sint? 4. An omnes perierint tem-  
pore captiuitatis Babylonicæ, & postea ab Esdra  
restaurati sint? 5. An septuaginta Interpretes post  
captiuitatem Babylonicam transtulerint omnes  
in linguam Græcam? 6. An, quando libri veteris  
Testamenti citantur in nouo, semper citentur in  
sensu proprio & literali? 7. An in veteri Testa-  
mento, præter Scripturam, fuerint etiam aliquæ  
traditiones?

Quæstio

B 3